41.

VENERANDUM
FACULTATIS SUÆ SENIOREM,
VIRUM
Amplissimum atqve Excellentissimum
DOMINUM
M. JACOBUM THOMASIUM,
Eloqventiæ Prof. Publ. Collegii Min. Principum Collegiatum, Academiæ Decem-Virum & Sub-seniorem, Scholæq; Thomanæ Rectorem,

Virum de singulis officiis longè meritissimum,

Cum V. Iduum Septemb. defunctus XIIX. Calend. Octobr. solenni exeqviarum pompâ efferretur,

luget

M. JOH. HEINRICUS ERNESTI,
Facult. Philos. h. t. DECANUS.

LIPSIÆ,
TYPIS CHRISTOPHORI FLEISCHERI,
ANNO M.DC LXXXIV.

QVæ pulchrè rapto deberent carmina vati,
Et Musæ cultu splendidiore cani;
Vix metris veniunt ægrè protrusa coactis,
Invitis Musis nec nisi torta fluunt.
Nec mirum est. Scripto namqve hæc qvæcunqve legetur,
Mœsto inter lacrymas litera facta pias;
Singultusqve inter concepti signa doloris,
Et gemitus, miseros qvi comitare solent.
Non benè conveniunt cum Musis Luctus & Angor,
Qvæ fugiunt, qvoties tristia corda vident.
Læta petunt Clarii, qvos fundis, Phœbe, liqvores.
Non placet, afflicti qvod dare vena potest.
Inde nec, ut fas est, æqvis expressero verbis,
Qvæ fletus causa est, principiumqve mei.
Dico tamen: Mundo magnus THOMASIUS exit,
In qvo tot veteres interiêre Viri.
Seu facili cupias qvi fundat carmina venâ,
Vix prior extiterit, Sulmo, poeta Tuus.
Eloqvio seu qvos docto Suadela venustet,
Cum Cicerone tenes Qvintiliane parem.
Seu benè qvi nosset Romanæ pondera lingvæ,
Non major Varro hac prosperitate fuit.
Qvòd posset taceo mores frænare furentes,
Chrysippos superat qva ratione decem.
Artem prudenter mundum qvòd & ipse regendi
Traderet, utqve armis bella gerenda piis,
Qvin

Qvin & calleret nexas qvòd solvere technas,
Orbis, qvæqve gerat, dicere facta vetus.
Qvid poterit tantis sese componere rebus?
Est tamen, insignem qvod magis esse facit.
Is sibi, qvod norat, non tantum nosse solebat.
Reddere cuncta aliis summa cupido fuit.
Nempè ut qvæ vivis undis Arethusa referta est,
Haussturis svaves undiqve fundit aqvas,
Depellitq; sitim simul extingvitq; prementem,
Et facit, ut plures pastus habere velit.
Sic hic qvò cupidos variâ magis imbuit arte,
Hoc plus sunt, optant qvi didicisse datam.
Notitias docto vastas ex corpore rerum
Tradebat svavi nam ratione suis.
Mella velutqve placent stomacho plus dulcia nostro,
Si se dant gratis insinuantq; modis,
Qvàm si vel nullo sumantur aromate mixta,
Vel mensæ apponat sordidus illa coqvus:
Sic Tua, Phœbe, juvant humanas munera mentes,
Exhibeat Doctor si benè cocta probus,
Continuô lingvæ si cursu tradita puræ
In proba discipuli doctaqve corda fluant.
Hæc Parcæ manibus rapiunt nunc omnia duris.
Dicite, singultus qvis prohibere qveat?
Dicite, qvis cultis valeat qvid dicere verbis?
Debita qvis Pindi nunc dare liba Deo?
Qvòd faceret versus fatis oppressus iniqvis,
Naso, feras gentes obstupuisse, putat,
Ipseqve miratur tantis animiqve maliqve
Fluctibus, ingenium non cecidisse suum.
Deplorare tuum, vates, sed desine fatum,
Nil dices, casus si tueare meos.
Ergo

Ergo etiam veniam non expeto verſibus ullam,
Qvid vitii eſt, flentem flebile quodqve ſeqvi?
Verbaqve qvando leges forte haud hærentia verbis,
Vatis fac triſtis triſte poema putes.
Fundere nec poſſim qvid, dicito, cultius ipſe,
Vel data Phœbi olim ſi metra viſa forent.
Qvin nec majores coner promittere vires
Auſis, ſi mens qvid cudere forte, novis.
Barbarus exſtiterit, qvemcunqve effecero, ſermo,
Et verſu merear Mævius eſſe malò.
Nil valeo, fatis poſtqvam THOMASIUS atris
Interiit Muſæ norma ſeqvenda meæ.